Ann. II. Num. XXII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10; ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 ½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis Lib. 0.50 pro *unoquoque centimetro quadrato.*

Cuncta mittantur ad Aristidem Leonori *equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem*

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN ITALIA
Apud Desclée, Lefebvre et Soc.
ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.

IN ANGLIA
Apud Burns and Oates
LONDON W. — 28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENT.
Apud Commissariat of the Holy Land.
NEW YORK, 143 w 95th St.

IN CANADA ET NEWFOUNDLAND
NEW YORK (U. S. Americ.), 143 w 95th St.

IN BELGICA
Apud Desclée, Lefebvre et Soc.
BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.

IN GALLIA
LUGDUNI — Apud Desclée, Lefebvre et Soc. — Rue Victor Hugo, 5
LUTETIAE PARISIORUM — Lethielleux Vic et Amat, Charles Amat Succ. — Rue Cassette, 11.
INSULIS (LILLE) — Apud Desclée, Lefebvre et Soc. — Rue de Metz, 41.

IN HUNGARIA
Apud C. B. Liptay, corresp. de Hongrie
BUDAPEST, Palais du Théâtre National.

RERUM INDEX

ROMAE
EX OFFICINA FORZANI ET SOCII
MDCCCXCIX

Ann. II. ROMAE, Idibus Novembris MDCCC XCIX. Num. XXII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 ½.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

COMMENTARII "VOX URBIS" LECTORIBUS IN ANNUM MCM

Novo ad limina anno veniente, quae sentiant, quaeque praestare parent lectoribus, diaria solent exponere, neque grandioribus a promissis interdum abhorrent.

Numquid idem et nobis erit?

Dimensum respicientes iter, nostra, ut ita dicam, vestigia scrutabimur.

✱

Uti bonis artibus litterisque fausta et optima essent, commentario huic nostro unius viri consilium et opes fecerunt initium, audacia ac temeritate apud quosdam propterea notati. Sed res eo spectabat, ut ostenderetur romanas litteras adhuc Romae pleno fonte manare, et uberi, ac vel [illegible] effuso flumine decurrere.

Brevi *Vox Urbis* per universum terrarum orbem insonuit, eique libentes aures, immo cupidas exhibuere non modo gentes illae, quae nobis haerent genere, sermone et moribus, sed quotquot in unitate sermonis ipsius, quem olim regiones per omnes victoria circumtulit, consecravit Christi religio, ac sapientia legum pene divina constituit, priscam quaerebant virtutem, et quasi vinculum humanae familiae, quo, communi fraterno eloquio, concordia aleretur, unitas restauraretur, idemque mentes et corda sentirent quae verba eadem vocesque annuntiassent.

✱

Quae cum ultra spem longius latiusque accidissent, latius longiusque pariter iusserunt nos producere fines, quibus exordientes cohibebamur, idque effecerunt, ut ea tractanda essent argumenta, quibus impar putabatur eloquium ad nova nostri temporis nomina non expeditum.

Viceruntne iter durum diuturna studia, et volens animus, et pietas, et dilectio?

Nos, qui plurima cupiebamus, nonnulla fortassis attigimus, adepti sumus nonnulla; certe neque labori, neque assiduitati pepercimus, ut quae polliciti eramus et quae poscebantur, ea praestaremus.

✱

Quae vero ad provehendum, ad augendum, ad complendum reliqua sunt, non latent; sed tamen ea consequi pede indefesso speramus, usquedum contingere fas sit; atque utinam praevertamus! Itaque quod praediximus, iamque in superiore numero denuntiavimus, illud scripturae genus etiam inserendum, quo et familiaribus narrationibus et alio quovis iucundo more includerentur vocabula domestici usus, novaque novis convenientia adinventis cuderentur, proximo exordiente anno persequemur, et ea quae, vobis rogantibus, o lectores, ad optatum finem universa latino sermone complectendi vestramque gratiam maiorem in dies conciliandi propius accedant, futura atque explorata, precamur, sic habeatis, ut non in promissis modo, sed et in manibus habere et usu capere iam vos arbitremini.

Ampliora igitur, iuxta vota epistolasque vestras, quas misistis, addemus; quae quidem nos posse confidimus viris amplissimis auctoritate sua iuvantibus; adlaborantibus egregiis et sapientia, et litteris, et artibus viris; praesertim vero faventibus vobis; non enim erit mora nobis, nec requies in via, qua gradiemur ea fortitudine animi atque constantia, quae propositi tenaces decet.

✱

Fundamentum aedificii nostri non arenae innitetur, sed marmoribus aeternis, lectores, dum nobis calcar addetis vestris monitis, opibus, laude, frequentia; vos, inquam, qui vestibulum ante ipsum adfuistis munifici, interfuistis argumentosi.

Vos igitur, quoniam et fecisse nobiscum placuit, et initae societatis non poenituit, quinimo et in hoc quod *Vox Urbis* commentarius vestro patrocinio custodiatur ac floreat aliquid et dignitatis, et laudis, et insuper quod etiam volupe sit habere statuistis, ampliorem nobis vobisque efficite societatem, novos accientes viros, qui nostro in albo scribantur.

✱

Et quia optimis quibusvis factis digna rependenda sunt, pro meritis, praemia, statutum apud nos est, ut quotquot e sociis tres in annum integrum ex Italia socios dederint novos, vel duos ex nationibus reliquis, rectoque tramite miserint annuum subnotationis pretium ad commentarii gestorem, Romam, via Alessandrina n. 87, tot sibi eligant unum pro lubito ex praemiis, quae videre est in huius numeri secunda operculi pagina.

Qui autem, iamdiu socius, iterum eadem ratione ad annum dederit nomen et pretium, huic dono erit liber (vulgo *Album*) pulcritudine insignis, nobisque expresse iubentibus confiatus, in quo, siqua deliciosiora in Urbe sunt oculis visuque digna, referuntur.

Ad omnes autem illos qui primum in commentarii socios recenseantur, *Vox Urbis* mittetur a Kal. Novembr. huius anni MDCCCIC usque ad expletum annum MDCCCC, itemque *Urbis e Ianiculo monte prospectus* late magnus (m. 1.10 × 0.24) et decorus, qui superioris anni sociis acceptissimus fuit.

✱

Denique — atque esto id instar diadematis seriei praemiorum; nam diademate procul dubio illustrius est artificio, pietate, recordatione — sociis omnibus, quotquot erunt qui XV die mensis Martii MDCCCC in albo nostro numerabuntur, donum decrevimus sorte iudice concedendum.

Abhinc duos annos, ut premente ab inopia sublevaretur quaedam domus pauperibus alendis iam in Urbe constituta, proposita praemio fuit aurea theca pulveri nicotiano asservando, qua SS. Dñus Pius Papa IX f. r. utebatur, una cum adiecto debito testimonio virorum, quibus ius erat testimonium de re perhibere: numeri singuli statuto argento venales erant, atque ex addictis urnae, hac rite versata, unicus extrahendus; qui numeri dominus esset, ille potiretur; quod peractum est.

Itaque nobis datum hanc thecam ab eo, qui sorte tulit, redimere. Agite, socii; de theca ista sors inter vos iudicabit, atque ille possidebit, cuius numerum urna dabit sacro Paschatis Resurrectionis die, anno MDCCCC, conditionibus quas superius retulimus.

✱

Haec pollicetur *Vox Urbis*, nec, quantum in nobis est, vel unum ex promissis excidet, assequutura profecto plausum ab iis, qui sacram hanc Urbem, lucem omnium gentium, decus orbis terrarum, immortalem saeculorum populorumque reginam, admiratione ac dilectione prosequuntur.

VOX URBIS.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS

Commentarii VOX URBIS anno MCM

Pretium annuae subnotationis est: in Italia Lib. **10**; ubique extra Italiam Lib. **15**; M. **12**; Sch. **12**; Doll. **3**; Rubl. **6**; Flor. **7 ½**.

recto tramite mittendum

ad Aristidem Leonori equitem, commentarii ipsius possessorem et administratorem

ROMA - Via Alessandrina, 87

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA

[illegible] omnes, qui die XV mensis Martii MDCCCC inter commentarii socios numerentur, [illegible] sacro Paschatis Resurrectionis die eiusdem anni

[illegible] Aurea Pulveri Nicotiano Asservando

[illegible] PIUS Papa IX [illegible], prouti ex luculento constat in scriptis testimonio

[illegible] nomen dederint, pretiumque subnotationis solverint uti supra, *Vox Urbis* [illegible] accipient a Kalendis Novembribus MDCCCIC usque ad expletum annum MDCCCC, [illegible] erit

URBIS A IANICULO MONTE PROSPECTUS

[illegible] (m. 1.10 × 0.24) et visu decorus.

Sociis qui subnotationem renovabunt dono dabitur

LIBER (vulgo "Album") PRAECIPUA URBIS REFERENS

[illegible] insignis atque, commentarii moderatore iubente, expresse conflatus.

[illegible] illis inter socios, et recentes et veteres, qui tres in Italia, vel binas ubique extra Italiam [illegible] novas comparaverint, earumque annuum pretium **recto tramite miserint** ad commentarii [illegible], optio erit unius ex his XXXIII quae sequuntur, quod gratuito pariter habebunt:

I. . . . **Aristotelis** De arte poetica liber. Rec. Guilelmus Christ.
Id. **Ars rethorica.** Ed. A. Roemer.
Id. **Quae feruntur Magna Moralia.** Rec. Fr. Susemihl.

II . . . . **Fabulae Romanenses** graece conscriptae ex rec. et cum adn. A. Eberhard.

III. . . . **Homeri Carmina.** Ed. Guil. Dindorf. (Voll. 2).

IV. . . . **Metrologicorum scriptorum reliquiae.** Ed. Fridericus Hultsch. (Voll. 2).

V . . . . **Patrum Nicaenorum nomina graece, latine, syriace, coptice, arabice, armeniace.** Edd. H. Gelzer, H. Hilgenfeld, O. Cuntz.

VI. . . . **Plutarchi Vitae parallelae.** Rec. C. Sintenis. (Voll. 5).

VII . . . **Strabonis Geographica.** Rec. A. Meineke. (Voll. 3).

VIII. . . **Xenophontis. Expeditio Cyri.** Rec. A. Hug.
Id. **Historia Graeca.** Rec. O. Keller.
Id. **Institutio Cyri.** Rec. A. Hug.
Id. **Commentarii.** Rec. W. Gilbert.
Id. **Scripta minora.** Rec. L. Dindorfius.

IX. . . . **Novum Testamentum.** Graece ed. Ph. Buttmann.

X . . . . **Augustini (Sancti Aurelii)** De civitate Dei lib. XXII. Iterum rec. B. Dombart. (Voll. 2).

XI. . . . **Caesaris C. Iuli cum A. Hirti aliorumque supplementis:** Commentarii de bello Gallico, de bello civili, de bello Alexandrino, de bello Africo, de bello Hispano. - Fragmenta. Recc. B. Kübler et Ed. Wölfflin. (Voll. 3).

XII . . . **Ciceronis M. Tullii Opera rhetorica.** Edidit Friedrich. (Voll. 2).

(Sequitur in tertia operculi pagina).

imbres effusos, tum frigora minuentes hiemalibus diebus.

Quae cum ita essent, passim quot montes erant, qui nomine romano possiderentur, totidem silvis virebant; atque hae, praemio saepe tributae viris, qui praeclara vel domi vel militiae fecissent, pascuis innumeris armenta hero nutriebant, aut pagis alebant, qui pacto tributo « animalia scripturata » illuc iniqua tempestate portabant.

Raros praeter montes, Apenninus quantus est, et quot Apennino appositi colles minores, ferme ad nostra tempora, penitus nemore virebant.

Sed ferreae viae ligno, quercu praesertim, substernendae erant, cui ferreae regulae clavis aptarentur, ut currus vapore acti supervolitarent.

Res erat in pretio, subitaeque divitiae ex vendendis nemoribus alliciebant. Hinc nulla mora, et quasi ex condicto ubique miserrima arboribus clades. Mox deserta saxa ubi nemora; nam subiti imbres et procellosi nullis retentum arboribus, nullo tutatum ramo solum prius in declive et valles duxerunt, mox rapere saxa, et lapides volvere deorsum, et armentis eripere pabula, et obruere campos. Hinc aestuans canicularі sole tellus, hinc perniciosus factus aer, hinc acrius hieme frigus.

Leges esse restaurandis nemoribus ac tuendis quis neget? Sed

aurum per medios ire satellites,
et perrumpere amat tecta potentius
ictu fulmineo.

Rariores quotidie silvae, quotidie in peius omnia huiusmodi fuere. Moribus, potiusquam legibus, recreanda res erat.

Haec inter Guido ille Baccellius artibus ac studiis optimis nunc praefectus, miro prorsus instinctu, omne ferre punctum autumavit, si adolescentes a scholis ipsis in rem agrariam converteret, et almam frugum parentem regionem italicam agricola prole litterarios inter ludos ditaret.

Edicto igitur primum censuit ut pueriles ludi, qui per oppida urbesque numerantur, agello augerentur, quem pueri magistro duce ac monente colerent, distributumque per diversa semina et fruges docta minerva curarent.

Hinc novo iussu praecepit, ut, ad instar Anglicae gentis, quotquot adolescentes habentur in ludis litterarum et artium, totidem in lucos restaurandos incumberent statuto festo die, quo solemniter novi arbores solo nutriendi darentur, adstantibus reliquis catervis ex urbe propria accitis; idque quotannis fieret, locusque indiceretur perpetuo novis amplificandus arbusculis.

In rerum natura est, atque in ipso humani cordis instinctu, ut ea amemus ac teneamus, quae nostro labore nostroque studio sunt parta. Nemo itaque obliviscetur diei et arborum, nemo praeteribit lucum recentem ex iis, cum sibimetipsi, cum socio non dicat: « Vide; quodam paterno iure arborea illas contemplor, et illae quidem arridere mihi videntur quasi gratae beneficio, quoniam illic eas depo[illegible] [illegible] de nobis annuntiaturas! »

[illegible] eiusmodi adolescentes munera, magistratus gerebunt in pagis, in oppidis, in provinciis, in urbibus; erunt qui privati rei familiari studebunt reducti in patriam, studiis peractis; quotquot erunt, nemo deponet festi memoriam diei, cui quinquies, cui octies, cui decies adolescens interfuit, et bono nemorum haec erunt, sive tutandis, sive restituendis animum apponat. Eiusmodi adolescentes erunt, qui postea viri municipia auctoritate regent, consilio iuvabunt, opibus, diligentia firmabunt. Habes totidem silvarum defensores assiduos, instauratores iuges.

Gratulor equidem; haec enim reipublicae bono facta, et consilio laudabili semel suscepta, magnum gentibus nostris parient fructum utilitatis, maximum adipiscentur annis gradientibus incrementum.

H. De Vecchi Pieralice.

EXTREMUM VOTUM

Rhene, qui nostros crepitans Penates
adluis, nullum remoramen aevi
doctus at tantum placido ciere
murmure silvas,
iene felicis meminisse dicam,
flumen, aetatis pueri lavabas
cum mei corpus, tenerae sub ipsos
matris ocellos?
cum, mihi festis iuveni diebus
si daret carus pater otioso
esse, fallebam tua quos crearat
unda natantes?
Nullus heus! vitae fuit angor, usque
ver renidebat, mihi laetiora
in dies spondens, duplicis merenti
ludicra lustri.
Tempus at vero meá nunc pavescit
crastinum magnis agitata curis
mens, ab obducto minitantur aegram
fulmina caelo!
Tu tamen leni fluis amne; lymphas
dum tuas aetas simulat fugaces,
hic ego moestos properare Fatum
conqueror annos.
Iam caput nigris adoperta velis
Mors adest, corpus vigor omne linquit,
iam sepulcrali subito rigescunt
ossa tremore.
Detur hoc tantum, precor, ipse functi
adluas, amnis, tumulum poetae,
ultimum vero cytharae resultet
carmen ab undis!

Alafridus Bartoli.

TELEGRAPHI VEXATORES (1)

Quamquam palis, filo ferreo, murrinis vasculis, ceterisque id genus durissimis atque ad stomachum minime accommodatis telegraphus constat, seu linea, quam electrides celerrimo pervadit itinere; non pauca tamen animalia acre bellum telegrapho admovent, quae ex eo expetunt aut cibum, aut in caeli inclementia perfugium, aut fulcrum, in quo nidum aedificent, aut horreum denique, ut ita dicam, ad cibaria in hiemem servanda. Neque putandum est parvum ab his hostibus detrimentum telegrapho inferri; nam eo adventum est, ut homo [illegible] debeat curis ad lineas telegraphicas restituendas.

Ex animalibus, quae « telegraphiphoba » appellari possunt, *melanupes formicivorus* elucet, in California atque in Mexicana provincia telegraphicis palis infensissimus. Haec avis, pico nostrati fere persimilis, quae antea mediis in arborum truncis nidum construere solebat, post telegraphum inventum palos vehementissime appetit, quos rostro multipliciter effodit, ut nidum et horreum sibi comparet. In uno enim cavo melanupes mas excubias agit, in parva inspiciens foramina, quasi domus fenestras circa truncum actas, dum inferius maiore in cavo foemina fovet ova, aut implumes alit natos. In summo autem palo quamplurimas videre est cavernulas, in quibus avis provida grana, glandes, ceteraque huiusmodi assidue congerit aestate. Quum in sua horrea granis referciendа maiore animi contentione melanupes incumbit, indicium habetur, ut experientia compertum est, fore ut hieme nix magna copia obruat agros. Fama est nonnullos ex palis esse repertos, qui vel septingentis id genus foraminibus sint vastati, adeo ut tempestatis vi, aut quovis alio impetu facile sint fracti.

Melanupi formicivoro avis accedit nomine *Wordperker*, eiusdem generis ac picus, quae in America telegraphi palos cavis vastat, quibus quasi horreis utitur, ut rigidae provideat hiemi. Neque silentio praetereundos psittacos putamus, qui laetitia exsultant, quum forti rostro ferreum praecidunt filum, aut clavum revellunt, aut damnum inferunt murrinis vasculis, electridem a palis prohibentibus, ne frustra in solum diffundatur.

In Norvegia infensus telegraphi hostis picus habetur, qui palos rostro effossos pene destruit. Neminem latet hanc avem insectis praecipue vesci, quae in arborum truncis se occultant: attentissime enim picus trunci inhaerens cortici, quum leve accipit murmur, rostro arborem percutit ac fodit, neque ab incepto desistit, nisi prodeant insecta, quae arrepta devoret. Iam vero in Norvegia, ut diximus, quum telegraphi palos picus invisit, leni deceptus murmure, quod ex ferreis filis vento agitatis proficiscitur palis, putat in his insecta se abdere, quae frustra expetit, iterum atque iterum palos rostro vehementer effodiendo: quod telegraphi integritati quantum obsit, nemo est qui non videat.

Cum avibus modo memoratis foedus contra telegraphum inire aliqua etiam insecta videntur, araneae praesertim, quae murrina vascula molli obducunt involucro, adeo ut electrides ex ferreo filo detorta in palos frustra effundatur.

Neque minus telegrapho obsunt ursi, qui palos magno impetu convulsos prosternunt, quum spem capiendi mellis ipsis murmur excitat, quod ex ferreis filis vento agitatis in palos immittitur, quodque lenis apium strepitus ab ursis deceptis habetur.

Dolendum est penes Mauritaniae incolas, ceterosque populos, quibus humanitatis lux nondum plene affulsit, acerrimum telegrapho bellum ab ipsis hominibus inferri, qui murrina vascula, quibus a palis electrides arcetur, abripiunt, iisque quasi poculis uti vehementer gaudent. Ferrea insuper caedunt fila, quae in multos adhibent usus, ad retia praesertim intexenda, ut bestias ex agris prohibeant. Aheno filo, quod ferreo plerumque suffectum videmus in recentibus lineis, annulos, armillas conficiunt, aut parvos circulos, quibus nasum atque aures exornent. Ferunt agricolam quemdam ferreo filo ex palis abrepto funem ex *bambù* contextam suffecisse, ut conscientiae leniret stimulos: nonne hic ad unguem facere videtur illud Horatii:

Spectatum admissi risum teneatis amici?

His adde quod algidis in regionibus ad alendum ignem pali adhibeantur, qui, si ferrei sint, facile in arma, sin autem vacui, in aquae ductus convertantur.

(1) H. Coupin, « Les mangeurs de télégraphes » in comm. *Revue des Revues*, Kal. Sept. 1899.

DE HUMANA SAPIENTIA ET FIDE DIVINA

Philosophi qui Comte [illegible] auctorem sequuti, investigandarum rerum disciplinam materia tantum et sensibus definitam expluerunt, instaurandae hominum sapientiae summam hanc pro fundamento legem proposuerant, ut sanctae fidei dictamina ab eius [illegible] omnino exsularent. Huic adhaerens [illegible] Draper paulo post conclamavit audacter historico quodam fato fieri, ut singulis disciplinarum incrementis fidei [illegible] aliquid semper praeripe[illegible], adeo ut plane divinari posset supremo humanae sapientiae triumpho fidem prorsus iri deletam. Quod quidem se plane assequutos putant, amotis ab investigatione rerum [illegible] rationis captum aut sensus corporis excedunt.

Verum [illegible] opus. Scimus quidem [illegible] non paucos infensos illius scholae sectatores [illegible] temere huiusmodi prin[illegible] asserentque a nostris [illegible] et fidem nexum, my[illegible]. Illud tamen certum est, versa eventibus adversarii, [illegible] ad inqui[illegible], vel ipsis [illegible] adversariis, [illegible].

[illegible] qui Darwinianam scho[illegible] linguae vulgavit; [illegible] *Reason and Revelation*; Kidd, [illegible] a religionum evolu[illegible], [illegible] principio; Mantegazza [illegible] de re scribens, quae humanam sapientiam et [illegible] et Brunetière [illegible] quoddam [illegible] persuasit; [illegible] philosopho ut credat. [illegible] ex Germania ac Gallia novae metaphysicae cultoribus, catholici ac viri ad[illegible] maxime exquirentes, quae natura sit, qui [illegible] commerci inter humanam sapientiam et [illegible] doctrinam.

[illegible] vero nexus catenus hucusque declarare [illegible], ut pateat, utrique esse legitimum dominium [illegible], neque inter se pugnare posse [illegible]. Verum hoc satis non [illegible] partium horum [illegible] doctrina [illegible] debent, altera ut [illegible], utraque ut mutuo sociam auxilia conferant, [illegible] viribus quamdam veluti harmoniam inter sese componant, iuxta Vaticani concilii [illegible], affirmantis utramque « operam sibi mutuam ferre ».

[illegible] quamvis fidei documenta natura sua altiora sint, quam ut ab intellectu nostro perspici possint, nihilominus, si severis conclusionibus ad unitatem redigantur, humanam rationem perducunt ad ipsius veri naturalis inquisitionem eodem tramite, quo ad divinitus revelata pervenitur.

Ita fidei auxilium in mentis investigatione praevalidum fit, et anxietates, aberrationes, virium dispersiones plurimas removet felicissime. Sunt alia vero doctrinae capita, quae etsi ad philosophiam pertineant, fide tamen validissime confirmantur. Ita et Deum esse et animos hominum omnis esse concretionis expertes atque immortales, aliaque innumera quae sive mores, sive leges, sive mundi atque hominum originem ac vicissitudines spectant, haec omnia et rationis simul et fidei sunt. Poterit quidem aliquandiu anceps haerere studiosus de sensu formulae, qua verum aliquod aut a philosophia enuntiatur aut a fide; at cum certo praenoscat ea necessarie concordare debere, maximum inde lumen attingit, tanquam e pharis constitutis in via ad veritatem tandem aliquando plene assequendam.

Sed alia sunt etiam: fidei enim documenta, vel in suo ambitu, necessariis propositionibus immediate derivantur, simulque consecutiones habent certas, nulli nisi temere renuendas; qua severa lege inconsultis effraenatae mentis [illegible] finis statuitur et de ipsa ratiocinandi virtute fiducia erigitur.

Insuper religionis studio rationis etiam vires aluntur. Cum enim fidei obsequium omne dubium excludat, efficit ut assuescamus, etiam disputantes tamquam philosophi, [illegible] non esse contentos, sed ad gradum veritatis certissimum niti.

Sic pia consuetudo illa, qua latebras interdum scrutamur animi, acuit studium humanae indolis atque naturae, magnoque usui est quum psychologiae, tum reliquis disciplinis quae ad mores pertinent.

Item, cum divina opera contemplamur per aspectabilem hanc rerum universitatem diffusa, vehementiori quodam impetu ducimur ad physices arcana investiganda. Qui vero assuevit in humanae gentis historia opus inspicere divinae Providentiae, qua homines in suo libero cursu diriguntur, is et robur haurit ex traditione et fiduciam ex progressu doctrinae.

Denique cum fide erudiamur Deum esse ipsam [illegible], in qua omnia, quae sunt, unum fiunt, ad illam notionum digestionem et coordinationem impellimur, quae cuiusvis disciplinae suprema ratio est.

Quae omnia si quis mature perpenderit, facile equidem sibi explicaverit intimam scholasticae philosophiae praestantiam eiusque per tot saecula innovatum semper robur, quippe quae universalem huiusmodi ordinem ipsa prae ceteris adstruxerit.

Et planum quidem ei erit quo vicissim pacto mira illa quae [illegible] Augustinus, Bossuetius, Vicus, De Maistre de historiae philosophia ediderint; qua de causa in ipso disciplinarum naturae limine doctissimi viri, ut Copernicus, Galileus, Volta, quasi gigantes eminuerint: qua immo abdita lege christiana oeconomia et *sociologia* usque floruerint; quomodo utraque haec, prae ceteris doctrinis, quae omnia aut in dubium revocant aut ad utilitatem referunt, par sit perarduis quaestionibus de hominum consortio et vita dirimendis. Neque ex aliis ferme causis repetendi sunt errores omnes qui philosophiam eiusque historiam, sociales doctrinas, ipsasque naturae disciplinas frequenter perturbarunt, quorum immo triumphalis via, iuxta Navillii dicta, ipsa pene fundamenta, ex quibus orta sunt, concutiuntur.

Atque ita quidem non sapientiae aedificium exstruitur, sed eorum deliramentis fit aditus, qui nihil in rerum natura vident, nisi phoenomena, aut qui de omnibus dubitant, aut qui denique *subiectivismum*, uti vocant, profitentur. Hinc intellectus fines coarctantur, philosophiae ordo omnis et apta compositio frangitur; doctrinarum traditiones labefactantur, prudentia omnis sanae et certae investigationis proiicitur, et quae praesidia validissima ad sapientiae progressum imprimis habenda sunt, stulte repudiantur.

Quapropter doctrina omnis, sive ut ipsa gignatur, sive ut adolescat, sive ut in dies incrementa suscipiat, una eget maxime fide, fitque pariter ipso hoc ineluctabili fato, ut munere, quod catholico viro sapientiae studioso incumbit, nullum sane gravius, at nullum pariter possit esse nobilius. Si christianam cupimus fieri hominum societatem, curandum est ut christiana fiant studia doctrinae.

Iosephus Toniolo.

ARBORIBUS COLENDIS
FESTUM QUOTANNIS INDICTUM

Incumbenti mihi in poemation exametris deductum, cui de arboribus argumentum est, sive educandae solo mandentur, sive festo quotannis die celebrentur atque italicis praesertim adolescentibus multiplicandae asservandaeque tradantur, suavissimum certe, munus creditum fuit, uti de hisce scriberem quae vellem, quaeque sentirem.

Cavebo certe ne, quod poeticum sit, solutae orationis in argumentum irrepat, nam *occidit miseros crambes repetita magistros*; at ego is certe non ero, qui falce et ignibus vernantia fronde et flore tractabo.

Gratum itaque legentibus conficiam opus, si, quae apud maiores nostros hac fuerunt in re, commemoravero, si, quae futura hoc edicto sperantur, breviter et fugiente penna saltem attigero.

Antiquitate, quae, ab ortu quo propius aberat a divina progenie, eo, Tullio auctore, fortasse melius quae sunt vera et bona cernebat, magna servandis arboribus cura, magnum et obsequium tum latis legibus, tum superaddita religione decernebantur.

Sacrae factae sunt silvae pleraeque, quasi numen quoddam per eas versaretur, quod vel nefas esset excitare clamoribus, provocare ferro, oculis intueri profanis; arbores ipsas insuper proximiora numina tuebantur.

Sacra Iovi quercus, Phoebo laurus, oliva Palladi, populus Herculi. Pinus, cupressus, abies, et quotquot sexcentae sunt arbores peculiari singulae ac tutelari numine non carebant, cuius in iram et ultionem incurreret si quis ferro violare tentasset.

Praecincta sunt insuper arboribus templa; et Dodonae nemus, et Daphnicum, et Druidicum apud Gallos non unum, et Paradisos apud Persas narrat historia. Quinimo eo ubique terrarum processere gentes, ut ipsae arbores, quasi divini animi, divinaeque potestatis compotes, adorarent, velis, purpura, taeniis, auroque votivo honestarent.

Quae omnia quum ubique fuerint, et semper eadem, quum insuper nihil referat si illae Iovi, hae Mithrae, istae Moloch, vel Baal addicerentur; nam non de nomine, sed de sententia sermo est; clare patet hinc, ut ita dicam, religionem erga arbores aliquid humano generi vel imis in visceribus insculptum, vel primorum hominum exemplis, iussu, monituque firmatum, quod multo saeculorum decursu perpetuus habitus, et quasi altera natura effectum est.

Ad numquid huiusmodi traditionem, sive consensum ratio infirmabat?

Firmabat immo; in arboribus enim praeclara multa, pulcherrima plura, utilissima omnia ab umbra aestivis grata diebus ad truncum, qui saepe vacuus refugium offert saeviente hieme, et plerumque primis hominibus domum; utilissima, inquam, omnia a frondibus medicinali succo frequenter imbutis ad flores odoratu et adspectu deliciosos, a fructibus omnibus, quibus vitam alimus, delectamus palatum, infirmitatibus saepe medemur, ad ipsum truncum et ramos, qui ubi aruerint, ignem super omnia necessarium humanae conditioni cultuique praebent.

Quid igitur mirabile, si haec arborum silvarumque cura, si haec in silvas arboresque religio quotannis ita cresceret, ut lex demum civilis fieret?

Et iure; non enim ignorare poterant primi illi pastores quanta, et quot, et quae beneficia redderent e montibus arbores tum ventorum frangentes impetum, tum aerem salubriorem longe lateque effundentes, tum protegentes rivos, tum cohibentes nimium

ad ostium Tiberis a Leone IV cum Saracenis commissum, et Carolum Magnum imperatoris diademate a Leone III in Vaticana basilica redimitum.

Incendium vero, quod in fundo effingitur, pariter Leone IV regnante exarsit, regionemque Urbis totam, quam Saxones praecipue incolebant, ut erat ligneis plerumque aedibus, absumpsit, et brevi ad veterem Vaticanae basilicae porticum pervenit. Ecce autem, ut pie traditur, ipse Pontifex in summum aedificium progrediens sua benedictione ignis rabiem coercet. Res tantae memoriae iure meruit a Raphaele illustrari, quod iussu novi Leonis ordine decimi consueta virtute praestitit. Cum vero tunc temporis novae exstruendae Vaticanae moli fuisset praepositus, et architecturae studeret quam maxime, columnas illas, quae conspiciuntur ex reliquiis aedis Martis Ultoris est ad unguem imitatus. At fuit praecipuum pictoris consilium, ut quantum in nudis corporum referendis motibus praestaret, ostenderet, quod curavit summopere in binis illis figuris, quarum altera ad recipiendum traditum sibi pupulum sese protendit, altera vero conatu motu, e muro suspensa, sese in terram deiicit. Sunt pariter muliebres inibi formae pulcherrimae, quae inter praecipua quaedam aquae amphoram ad exstinguendas flammas baiulans, cuius vestes, furenti vento, miro veritate inflantur. Attamen insolite, prae ceteris, oculos percellunt tres illi simul fugientes, quibus Aeneae pietatem, parentem et natum ab incensa Troia educentem, placuit pictori referre, illa Vergilii ad unguem expressa (*Aeneid.* II, 721):

Haec fatus, latos humeros subiectaque colla
veste super, fulvique insternor pelle leonis,
succedoque oneri; dextrae se parvus Iulus
implicuit, sequiturque patrem non passibus aequis.
Pone subit coniux...

LAELIUS.

DE SCANDINAVIS REGIONIBUS

PLURES ex vobis credo mihi suffragia defunctorum decrevisse, putantes me tam diu, si vivus adhuc essem, silere non potuisse, aut saltem ab epistolis incolumem nequivisse abstinere.

At res longius ab horum opinione fuit, penitusque diversa; nunquam enim adeo valui, quam iis diebus, quibus nolens conticui. Nolens, inquam, quia erat mihi mens et scribendi ad vos et narrandi; sed ita me rapiebant quae videnda coram erant, ut penitus tempus deesset quo scriberem, in copia describendarum rerum ingenti, quibus ego quotidie, singulis immo horis, obsidebar.


Nunc autem quoniam Lutetiis sum, et ex diuturno itinere confracta haud equidem, sed certe quassata non mediocriter membra restauravi, dum, lentus inter libros et calamos et atramentaria scriptoriae mensae consideo, animae assurgit non recordatio vestra, quae semper haesit altius animo, sed munus et officium, quod sponte susceptum semel, nunc veluti debitum habendum est, ne dicam inter consuetudines vitae, quibus dum vobiscum vivere nequeo, vivere sine colloquio vestro non possum.

Dicam itaque primum de me, postea de iis, quae magnopere me perculerunt.

Non omnia tamen; nam liber integer, isque molis spectabilis, aegre sufficiat ad ea enucleanda, quibus interfui ego impoenitens ambulator, et erro perpetuus.

Lutetias igitur remigrans laetatus sum de more illo, quem plerique civibus meis vitio vertunt, idest de levitate et quotidie ambulatoria illa mente, qua nihil diutius hebdomada inter nos durat. Quam enim civitatem, immo rempublicam reliqui plenam sollicitudinis, plenam timoris, et maximis molestiarum motibus turbulentissimisque tempestatibus aestuantem Dreyfusiano negotio, hanc hodie tranquillam invenio atque pacatam, incumbentem in labores, operosam atque argumentosam, et alacriter parantem quae sunt ad ostensionem et expositionem rerum omnium, quibus adinventione, opera, arte, manu, ingenio valet genus humanum.

Et nunc ad iter herculeum meum, vosque parcite indulgentiores Gallo vestro Vieillotio, qui, eo ipso quod Gallus est, saltem semel de negotio Dreyfusiano



Incendium prope Vaticanum (RAPHAEL URBINAS pinxit).

canere ante ortum solis debebat, ne a vobis potius *capo* quam *gallus* aestimaretur.

Scripsi me urbem Norvegianorum principem a Danis petiisse, scripsi me illic bene morari, scripsi me reditum parare (1).

Singula, quae amicis meis Parisiensibus donanda munuscula comparaveram, afferebantur, chartis obvolvebantur, et haec in arca viatoria, illa in bulgis, in vidulis, prout singulis natura erat, ne confringerentur, vel attererentur, nordica cum pace et cunctatione et mora collocabantur, cum ecce improviso musica tibicinum cohors implere viam concentibus, aedepol!, suavissimis. Ad fenestras festino auditurus, et forsitan quid novi sit in illa pace ac tranquillitate scrutaturus.

Abibat caterva quaedam virorum, expeditis et praecinctis induta vestimentis, magno sequentium pedissequorum, equorumque cum sarcinis comitatu. Quaero ab hospite causam: « Ah! », respondit, « nosco rem; hi per regiones nostras montesque scandinavos, quos Alpes vocant, iter arripiunt, *scientiis*, ut aiunt, aliquid allaturi, solatium sibi, et utile nostris populis certe comparaturi ».


Tum ego: « Ecquid non ego cum illis? » « Tu dominus et arbiter tui », inquit; « sed cavendum ne quid desit in via, et providendum prius ».

Aurum erat in manibus; ad tertium diem protracta res est; omnia cum hospite necessaria itineri comparo; quarto die eos, qui praecesserant, in itinere consequor.

Modo vaporivehis, modo curribus, modo carris, modo equis usi sumus; equis denique tantum, nam eo deveneramus, ubi nec ferro stratae viae, neque rotis par transitus erat.

Donec in vaporivehis fuimus, idem fuit mihi ac per nostras regiones iter, hoc praeter unum, quod non adeo facile esset reficere cibis corpus, uti apud nostra

(1) Hae vero litterae ad nos minime pervenerunt. — *V. U.*



[illegible] urbis portus.

[illegible] telegraphi [illegible] brevi, ut in [illegible] telegraphus absque [illegible]

[illegible]LLUS.

[illegible] URBIS [illegible]DITAE
[illegible]ANA COMMEMORATIO

[illegible] quinquies et [illegible] dies, quae [illegible] Graecos e [illegible] Narbonensis [illegible] vidit [illegible] nobilissimam exo- [illegible] peculiariter celebretur [illegible] originem [illegible] et mutuam cum Urbe [illegible] amicitiam, [illegible] civitatis [illegible] Erant enim tunc [illegible] adiungenda [illegible] rege, Phocaeensium in- [illegible] inventa amicitiam cum [illegible] inde in [illegible] Galliae finis [illegible] inter Ligures et feras [illegible] (1).

[illegible] armorum vi, [illegible] hospitio in mutua [illegible] retinuit. Ex quo factum est, ut [illegible] Massiliensium historiam vel obiter perlegentibus [illegible] popularis ingenii signa passim eminerent, et bellicae virtutis prodigia una cum miti litterarum omnium atque artium laude, iugiter cumulata in civitate viderentur. Neque profecto quisquam ignorat quae vis Massiliensium fuerit in Pompeii fide retinenda, cum a Caesaris exercitu obsiderentur; nam, ut ipsius divi Iulii verbis utar, nonnisi antea in deditionem venerunt, quam omnibus defessi malis, rei frumentariae ad summam inopiam adducti, bis pugna navali superati, crebris eruptionibus fusi, gravi etiam pestilentia ex diutina conclusione et mutatione victus conflictati, reliquam spem salutis omnem amisissent. Panico enim vetere atque hordeo corrupto omnes alebantur, quod ad huiusmodi casus antiquitus paratum in publicum contulerant. Deiecta tandem turri, labefactata magna parte muri, auxiliis provinciarum et exercitus desperatis, quos in Caesaris potestatem venisse cognoverant, urbis portas victoribus aperuerunt. Itaque, ut dictatoris laus insonat, qua erit nunquam in bellicis maior, Massiliensibus res nulla ad virtutem defuit; cui perbelle Lucanus accedit, illa de populi fide recinens:

Phocais in dubiis ausa est servare iuventus
Non Graeca levitate fidem . . . (1).

Verum [illegible] litterarum et excultae graecis disciplinis reipublicae antiquitatis omnes gentes et terras, brevi aucta, pervasit ita, ut veluti novam in Atticam frequentissimi nobilium iuvenes Massiliam migrarent. Eius enim cives veteris originis nunquam obliti, graecarum litterarum, legum et philosophiae tenacissimi fuerunt, quibus claruere ferme apud omnes, nunquam sese passi Barbarorum contagione corrumpi. Cuius quidem rei testimonium nullum gravius reputandum, quam quod Marcus Tullius magnifice protulit, cum pro Lucio Flacco diceret in iudicio: « Neque vero te, Massilia, praetereo, quae L. Flaccum militem quaestoremque cognosti: cuius ego civitatis disciplinam atque gravitatem non solum Graeciae, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam dicam: quae tam procul a Graecorum omnium regionibus, disciplinis, linguaque divisa, cum in ultimis terris, cincta Gallorum gentibus, barbariae fluctibus alluatur, sic optimatum gubernatur consilio, ut omnes eius instituta laudare facilius possint, quam aemulari ».

Ceterum nil mirum Massiliensis reipublicae statum, quippe qui optimatum auctoritate regeretur, Ciceroni fuisse acceptissimum; verum ex historia constat, eam semper principes in moderandis domesticis rebus adhibuisse prudentiam, ut nunquam regimen immutaretur, usquedum, post Caesaris obsidionem, de civili libertate actum fuit. Quamvis una superfuit, eaque nobilissima, Massiliensibus in victores ultio, de qua illud iterare licet, quod de Graecia capta saepe in antiquitate adnotatum est, feros Romanos milites artibus litterisque unam moderatam fuisse.

Hoc autem nobile magisterium longa per saecula Massilia gessit, imo Graecorum veteri humanitati, recentioribus Romanae prudentiae documentis superaddens, inter occidentales imperii regiones [illegible] ferrea usque tempora unum bonis artibus excolendis mansit refugium. Iure igitur Gallus nuper doctissimus Le Clerc coram municipibus et populo eleganti [illegible] diem conditae primitus patriae commemorans, [illegible] ciam veluti suae gentis aviam, Romam vero [illegible] matrem salutavit, finemque dicendi his ad [illegible] fecit verbis: « Alacriter equidem nos [illegible] minis totius sapientiae [illegible]iusque [illegible] tibus ortos asseremus, atque earum [illegible] primae Europam e barbariae tenebris re[illegible] per tot saecula, et fortasse in aeternum usque [illegible] humanae societatis universae caput et velut [illegible] constituerunt, viriliter gloriemur esse filios ».

I. Antonelli.


(1) Iustin. XLIII, 3.

(1) *Phars.* III, 301.

RAPHAELIS URBINATIS PICTURA MURALIS
INCENDIUM PROPE VATICANUM [illegible]

Vaticanae aulae in maxima pariete pictura illa Raphaelis Urbinatis celeberrima, cuius pulcherrimas formas lectorum sub oculis ponimus, anno millesimo quingentesimo decimo quarto fuit ab auctore et ab eius discipulis quaquaversus deducta, praeter quam in lacunari, quod, cum Petrus Perusinus Sanctii magister pinxisset, veneratio discipuli voluit intactum relinquere.

Aulam vero bene Leoninam dicemus; nihil enim aliud exhibet quam tertii et quarti Leonis gesta: et praelium



Arcus triumphalis Massiliae.

Barrington, Nordenskiöld, circa insolitum hoc iter studia impenderint; nec tamen minus facile divinatur parva vel nulla fide dignam Ohtere historiam apud eos haberi, nisi saltem firmiores eius probationes adinveniantur. Non itaque maioris pretii illud retinendum est, quam franciscalis illius fratris aliud hyperboreum iter, quod Eduardo III Angliae rege expletum dicitur, vel canonici cuiusdam cathedralis Londinensis ecclesiae, qui Henrico VIII rege, navi conscensa, quam *Dominus Vobiscum* vocaverat, eamdem versus metam profectus est.

Unum vero certum videtur, Ohtere illum, primum e regalibus iuvenibus fuisse, qui ad glaciales latitudines explorandas maria sulcaverit, earumque inclementias firmo animo aggressus sit. Ex quo immo itinere fabulosa illa est exorta traditio, qua ferebantur extremi terrae fines altissimis veluti moeniis, rupe inaccessa, enormi, ac nigerrima obstrui, quasi clausis omnino Gaditanis portis, quas violare hominibus nefas esset. Quare huiusmodi rupes passim in antiquioribus orbis tabulis cusa videbatur, ita ut ex ea quatuor flumina in unumquodque cardinale punctum diffluerent.

Fabulam profecto, licet absurdam, nemo tamen potuit hactenus explorata Nordici poli vera facie sufficere, nisi tandem altissimum hoc gestum Sabaudo Brutiorum duci, Normanni Ohtere aemulo, fuerit divinitus servatum, quod tum pro geographicae disciplinae incremento, tum pro Italici nominis gloria in nostrum omnium votis est.

A. Costaggini.

DE RECENTI QUODAM NERVORUM MORBO

Qui fuerint nimii laboris funesti in animo fructus satis iam perducta duplici animadversione perspicimus, unum vero prae omnibus perniciosum maximumque periculosum animi morbum retinemus, qui labefactando nervorum recto munere reliquisque motibus viret. Nam hodierna communitatis condicio vitaeque conversatio eo corrupta undequaque manet, ut non modo in virginibus sive in mulieribus, verum etiam in pueris, immo et in viris matura aetate roboratis huiusmodi morbi imbecilles effectus frequens experientia deprehenderit. Scimus profecto admirationes non paucas et exclamationes, coram Murrio medico huiusmodi morbi synthomata in pueris primum animadvertente, ab obstupescentibus circum discipulis esse prolatas, at post ea quae quotidiana vitae ratio in medium attulit, incredulae illae voces nusquam ex auditorio erumpent.

Et sane Charcot Gallus, medicina doctissimus, diuturna maximaque solertia, habita etiam virorum ratione, rem pertractavit effuse, indubieque ostendit, quem morbum vix foeminarum, earumque nobilium ubique incolentium, proprium reputaverant, hominibus contra cuiusvis aetatis vel condicionis in rusticana usque remota plebe esse quoque communem, quamvis eius explicita signa minime in aperto plerumque sint. Interest tamen eorum vices callere, quo quisque facilius suae valetudini consulat.

Morbus, ut satis est exploratum, animum afficit, non autem perspicue atque constanter, ut in amentia, sed variis levibusque indiciis, ac dissitis momentis fit manifestum. In foeminis enim musculorum contractiones animadvertuntur; in viris contra mentis obnubilatio quaedam certo temporis intervallo rediens, atque a Tamburinio, medico clarissimo, cum deambulantium in somno cognito morbo iure comparata; nam et nostro quidem in morbo, quae aegrotus perficit, ea tamquam integer viribus sive mente operatur.

Has itaque absentis animi condiciones veluti *statum mentis alterum* Galli considerarunt et nuncuparunt; cum enim expergefactus aegrotus fuerit, omnium quae dormiens expleverit prorsus obliviscetur; quodsi iterum morbo correptus erit, tunc ad unguem in priori sommo peracta in memoriam redibunt. Ex quibus satis apparet, cum iterato huiusmodi mentis accessus remeaverint, alternam quodammodo aegrotum vivere vitam, integram alteram atque sanam, alteram morbosa amentia miserrimam.

Exemplum Baroncinius, vir medicae disciplinae peritissimus, ex homine quodam monodiario attulit, qui in canentium personarum conversatione peragens vitam, continua pene atque violenta nervorum excitatione defatigatus, instabilem brevi indolem cerebrosamque assumpsit, adeo plausibus efferendam, ut quotidianas ipsas impellentesque vitae necessitates prorsus vir aspernaretur, at sibilis contra adeo deprimendam, ut in extremam usque animi demissionem facile corrueret. Hinc insoliti passim ingenii impetus, absurdae angustiae, desideria omnibus demiranda atque ex desipiente et vesana animi laetitia in teterrimum angorem facilis semper collapsus, ita ut voluntatis eius vires perpetuae cupiditatum fluctuationi plene concreditae viderentur. Ceterum perturbationibus huiusmodi in animo gravissimis corporis etiam vitia respondebant, in generali praecipue cutaneo sensu et in nervorum reactionibus, quae inaudito vigore exsurgebant.

Sunt haec igitur quaedam, eaque graviora, morbi indicia, nec desunt medici suae artis satis periti qui censeant, delictorum quae forte non in deliramentis tantum sed etiam in huiusmodi *secundo animi statu* admittantur, poenam non esse pendendam. Ita Baroncinius ipse et Bianchi et Caramanius opinantur, asserentes aegrotum nervis laborantem, cum morbo corripiatur, indolem, ingenium, mores, cogitationes, animique ipsam naturam commutare, rerumque adstantium sensum longe aliter, quam sano sibi assoleat, percipere. Quae quidem impugnanda nemini sunt, cum de mentis morbo plane constet, ita tamen ut, si res expostulet, singillatim expendatur utrum reapse in homine criminis reo ea omnia necne deprehendantur indicia, quibus morbus innotescat, veluti in adducto a Baroncinio exemplo satis vidimus eminere. Non enim passim similia tam perspicuis signis contingunt; qua de re maxime interest ut in examinandis huiusmodi aegrotis vel reddenda de ipsis sententia maximae cautelae adhibeantur.

R. Spina.

ANNALES

Transvaalianum bellum - Gallorum ad Sinas expeditio - Sinarum seditiones - Iberorum perturbationes - Austriae tumultus - Americana in Venezuela et Columbia bella civilia - Philippinarum atque Samoa insularum fata - Caesarum ad Potsdam colloquium.

Anglicae victoriae, quas in superiori numero renuntiavimus, subsequentibus postea nunciis sunt vel deceptioni vel mendacio tributae. Cautius inde progrediendum est, ne tot incerti eventus, qui in utramque partem bellicis epistolis traduntur, lectoribus afferantur, et nonnisi praecipuae et comprobatae belli vices recolantur. Itaque id unum pro certo hactenus innotuit, Boerorum copias, primis Anglorum exercitibus superatis, Natal usque provinciam pervasisse ac Dundee urbe esse potitas, captivos duxisse plurimos hostes, Ladysmith vero moenia obsidione circumvenisse. Properant interdum navigia, quae Anglicorum auxilia advehunt; immo a pluribus praedicatur fore ut ad Delagoa Lusitanorum sinum brevi appellant. Gallorum inde atque Russorum aemulatio acrius excitata videtur, et navalibus augendis rebus atque parandis ferventior in dies opera. Dictitabant pariter eosdem inter et Iberos foedus aliquod iri initum, cui si Germanus Caesar accederet, pacem bellantibus imponere liceret.

✱

Attamen pactio haec Vilhelmo illi sagacissimo non facile erit accepta, qui modo in Angliam iter facere paratum sese affirmat, modo renuit et in contrariam partem inclinat. Augetur hoc modo, uti assolet, sui Caesaris callida prudentia, nomen Germanorum, penes quos praesentis discriminis arbitrium esse quodammodo dici potest. Nunciatur enim, ubi in Angliam una cum imperiali uxore Vilhelmus descenderit, magnificentiam feriarum, quae in eius honorem indicentur, regales quaslibet pompas post hominum memoriam longe superaturam. Insolita vero praecipuaque res erit conventus illius celeberrimi ordinis a tibialium ligamine appellati, in eius honorem indictus, qui a visitatione tertii Napoleonis non amplius coactus fuerat.

✱

Interdum de Gallis haec audivimus, colonias ad Sinarum fines constitutas, ob recentes transfugarum incursiones adeo graviter perturbatas esse, ut eas armis compescere opus fuerit. Verum inter advelitationes, Sinensium etiam nonnulli milites interfuere, et una cum perduellibus pugnaverunt. Protestationes inde ortae, concitatique adversus Gallos Sinensium animi, ita ut impendere militum incursio in coloniam videatur. Celeriter itaque cautum in Gallia est, ut marinae simul ac terrestres validae copiae mittantur, quae Sinenses profligare valeant, et aequa loca portusque in litore proximos, qui ad tuendos fines sint apti, firma manu occupare.

✱

Nam et in Caelesti illo, uti aiunt, imperio, perturbationes exortae sunt gravissimae, ob vectigalia in opii soporiferi potus commercium nimis graviter aucta. Quare seditiosa turba plures illius herbae constitutos acervos depopulata est, quamvis inter instigatores criminis tres fuerint a furca suspensi, plurimique ad metalla damnati.

✱

Iberae res non minus funeste adhuc properant; namque Barcinoniae, Catalauniae provinciae in urbe capite, plurimi mercatorum atque artificum, in idem venientes consilium, tributa publico aerario sese soluturos negarunt, atque sua quisque cauponas et opificia occluserunt. Inde orti per vias tumultus atque cum militibus luctae, usquedum ducis militum manibus civitas administranda est tradita, statutaque bellica tribunalia, quae in seditionis reos, in vincula iam coniectos, animadverterent. Interea vero *Albatros*, Austrorum navigium ad tormenta bellica, urbis portum ingressum est.

✱

Sed ex ipso Austriae imperio similia nuncia exaudiuntur, ob discordias nunquam sedatas, quae inter dissitas eius incolarum gentes continuo exardescunt. Hae namque recens in Bohemia et Moravia provinciis ad arma usque succensae, per vias in apertas seditiones et vastationes eruperunt. In urbe vero Wsetin praecipue, ipsis militum ballistis profligare tumultuantes oportuit, ac instructa acie mucronibus aggredi, ut a domibus Germanorum, quas depopulari coeperant, repellerentur. Zaya itaque et Hollychau,

[illegible] Quippe solemni gravitate domina, in quodam quasi throno sedens, oculis omnia [illegible] in aula ex amplissima, e[illegible] lineis, tum fictilibus, tum vitreis nitidis[illegible] ibi in patinis, in [illegible] coctae carnes, [illegible] volueris; hic elixae carnes, [illegible] conditae, pipere multo, gariophyllis, [illegible] flavo et fulvo [illegible] butyro liquescenti fere [illegible] modo, modo [illegible] ex vervece, ex vi[illegible] autem profusum [illegible]

[illegible] cura consederit. Venerat etiam Trebatius senex, iuris valde peritus mihique veteri studiorum consuetudine perquam familiaris. Eundem veteris disciplinae retinentissimum et urbanitatis ac facetiarum quasi magistrum studiosi iuvenes intuebantur et summopere diligebant.

Reliqua diei pars fuit in eo comitatu consumpta iucundissime. Inter coenandum vero plura ad multam noctem sumus colloquuti, Trebatio sene interdum graviter insectante effusam licentiam, quam nostrae aetatis adolescentes solam libertatem putant, exutumque pudorem omnem, quod magistri discipulos metuant iisque blandiantur, spernant autem discipuli magistros; adolescentes sibi senum pondus assumant, senes ad ludos adolescentium descendant, ne sint iis odiosi et graves. Haec ad causam pertinebant quamobrem hospites illi, relicta Urbe, huc se libentius recepissent. Erant enim ea tempora quum, excitata seditione in athenaeo romano ob reiectas a summo studiorum moderatore petitiones de instaurandis litterariis

[illegible]spicis? Atrocibus legibus in ebrietatem cautum est, et fere nullibi invenies loca, ubi liquores ebrietatem commoventes vendantur. Sobrii homines, bene moratae mulieres, adolescentibus viris cum puellis intra morum innocentiam consuetudo est, nec aliter mos quam sorores inter et fratres.

Quanta autem in populo fides sit ex isto dignoscite. Comes quidam meus nonnulla comparaverat missurus ad amicum, eaque secum in manticula ferebat diribitorio commissurus. Sive viarum errore, sive alia quavis causa, diribitorium nullum in promptu [illegible]dens [illegible]bat, [illegible]que [illegible]mus [illegible]les? [illegible]quit, [illegible]nda [illegible]ona [illegible]novi [illegible]e. [illegible]finis [illegible]non-[illegible]

A. V[illegible]

[illegible]igit, [illegible]via[illegible]viris, [illegible]llos [illegible] tempore [illegible]licet [illegible]ror[illegible]que [illegible]dem [illegible] atti[illegible] cum [illegible]

[illegible]ctis [illegible]ebis. [illegible]itas, [illegible]avit, [illegible] ex[illegible] alii Tuscula[illegible] in colle [illegible]

[illegible] pater, [illegible] sermones [illegible] equi[illegible] diligentius solere versari, quam in ista ipsa, quae mihi a te proponitur. Meminerimus tamen nihil nos praecipiendi causa esse dicturos, atque ita potius acturos, ut existimatores videamur loqui, non magistri. Quin etiam, ne liberae disputationi officiat si qua est mea auctoritas, peto a vobis, ut me auditorem esse sinatis.

— Dabimus - inquit - si ceteris placet; quamquam succensere nobis video Trebatium, penes quem omnis auctoritatis est patrocinium.

Cui senex: — An vero disciplinam ingeniis nullam certam aut destinatam legibus esse velitis? Vestra ista libertas non in eo est ut iusto domino utamini, sed ut nullo. Quae si consuetudo manare coeperit latius remque omnem ad libitum a iure traduxerit, brevi ipsa libertas in servitutem cadet; quippe omnia nimia in contraria fere convertuntur. Idcirco vestrae iuventutis exercitatio quam absurda in gymnasiis; quam levis epheborum illa militia. Turbant, miscent, divina humana omnia pervertunt. Cum-

idem iam punctum non minus strenuus vetustissimorum temporum nauta post innumeros labores recognovisse praedicetur.

Res adamussim in Orosii quodam libro continetur, antiquissimo ferme exemplari anglica lingua exarato, curante Alafrido, Angliae rege, cognomine Magno; liber vero hodie in Cottoniana anglici musei bibliotheca asservatur: at ne quis enarratis fidem deneget, ipsius regis testimonio firmata esse sciendum est.

Ohtere igitur illius fortissimi nautae nomen est, Heligoland hyperboricae insulae tunc temporis principis, qui, uti videtur, quadam die coram Alafrido sistens (haec enim codicis verba habent), eam sese incolere regionem asseruit, quae ex Normannorum terris ad septentrionem maxime proxima appareret. Quamvis enim patrium eius oppidum litora Occidentalis oceani potius prospiceret, cetera insulae loca septentrionem versus deserta omnino videbantur, nisi huc illuc nonnullae casae vel magalia exstructa fuissent, ad quae Finnorum interdum familiae venationis vel piscationis tempore sese recipiebant. Quapropter princeps ait maximum sibi esse desiderium navi proficiscendi, ut terras quousque in Nordicum mare sese protenderent, investigaret, videretque utrum ignoti forte populi trans desertum in glacie viverent.

Alafridus veniam libenter dedit, tuncque Ohtere, ex Heligoland oris, conscensa navi, profectus est. Itineris tempus non mensium quidem sed annorum fuit; labores vero atque cruciatus eo praecipue teterrimi, quod hodiernis tot inventis auxiliisque normanni nautae destituerentur. At animorum ferrea virtus omnia superavit; namque, post asperrimam odyssaeam, redeuntibus puppibus Arkangel urbis portus eluxit, ac sospites nautas tandem excepit.

Tunc itaque Ohtere ad regem reversus itineris casus atque explorationes enarravit: septentrionale Norvegiae caput sese primum attig'sse; inde vero eo audacter ad septentrionem impulisse naves, ut extremum illud [illegible] punctum attigerit, quo superato, iterum ad meridiem reverti necesse fuerit. Deinde ad orientem reversus, Kola peninsulae litora percurrens, album mare princeps ingressus est usque ad Dwina fluminis oras, quas Arkangel polaris civitas a saeculis tuetur. Hic itineri finis.

Ex his, licet ieiune admodum expositis, facile quis cogitet quae et quanta doctissimi subtilesque antiquitatis investigatores, quos inter Markkam, Ruge, Harrisse,

---

que ad eos accessit clamor et approbatio vulgi, quasi magni cuiusdam et sapientis magistri, quos invehunt metus, quas inflammant cupiditates! Novi, hercle, saeculi ingenium; video itinera flexusque rerum publicarum quo inclinent: timeo proximae aetati, quum cernam prona omnia ad perniciosissimum statum. —

Rem pluribus fuisset prosequutus nisi comiter eum amici tranquillo animo esse iussissent, data fide, se magnopere curaturos, ne quid ex nostris sermonibus respublica detrimenti caperet. Deinde, quia iam invitabat somnus: — Statuamus, inquam, in crastinum et in sequentes dies aptum disputationi locum. Est mihi hortus ante aedes et apricus maxime pratulus, ubi aut inambulare liceat aut considere aliquot horas ante meridiem. — Quod quum idem placuisset omnibus: — Velitis, iubeatis - inquit senex - rite omnia procedere et academiae huic nostrae constitui principem. — Gestus est ei mos, cunctisque suffragiis princeps est consalutatus Lollius.

Igitur, ut postero die venerunt ad constitutum locum ante meridiem paullumque requierunt: — Mihi videtur - inquit Lollius - ita nobis sermo de latinitate esse quaerendus, ut de litteris agamus latius dicamusque dignum aliquid eruditis auribus; praesertim quum latini sermonis facultas coniunctam habeat cognitionem rerum plurimarum. Ne autem patere nimis oratio videatur, iis definiatur quaestionibus, quae hoc tempore feruntur maxime; quarum magnitudinem et utilitatem fugere arbitror neminem, nisi forte quid ad haec velit medicus noster Philippus, quem video oscitabundum adesse.

(Ad proximum numerum).

P. Angelini.

XIII. . . **Ciceronis M. Tullii Orationes.** Ed. Müller. (Voll. 3).
XIV. . . **Ciceronis M. Tullii Epistulae.** Ed. Müller. (Voll. 2).
XV . . . **Ciceronis M. Tullii Scripta philosophica.** Ed. Müller. (Voll. 3).
XVI. . . **Eglogae poetarum latinorum.** Ed. S. Brandt.
Id. **graecorum.** Ed. Stadtmüller.
XVII . . **Gellii Auli Noctium Acticarum** libri XX ex rec. M. Hertz. (Voll. 2).
XVIII. . **Historicorum Romanorum fragmenta.** Collegit, disposuit, recensuit H. Peter.
XIX. . . **Orosii Pauli Historiarum adversus Paganos** libri VII. Rec. C. Zangemeister.
XX . . . **Panegyrici Latini XII.** Rec. Aem. Baehrens.
XXI. . . **Poetarum Romanorum fragmenta.** Ed. Aem. Baehrens.
XXII . . **Silii Italici Punica.** Ed. L. Bauer. (Voll. 2).
XXIII. . **Taciti C. Cornelii Libri qui supersunt.** Rec. C. Halm. (Voll. 2).
XXIV. . **Valerii Maximi Factorum et dictorum memorabilium** libri IX, cum **Iulii Paridis** et **Ianuarii Nepotiani** epitomis. Rec. C. Kempf.
XXV . . **Varronis M. Terenti Rerum rusticarum** libri III. Rec. H. Keil.
XXVI. . **Christus patiens.** Tragoedia christiana ex rec. I. G. Brambs.
XXVII . **Vitae Sanctorum novem metricae ex codicibus** Monacensibus, Parisiensibus, Bruxellensi, Hagensi saec. IX-XII. Ed. Guil. Harster.
XXVIII. **Epistolae selectae virorum clarorum saec. XVI-XVII.** Ed. E. Weber.
XXIX. . **Manutii Pauli Epistulae selectae.** Ed. M. Fickelscherer.
Mureti M. A. Scripta selecta. Ed. I. Frey. (Voll. 2).

(Quae opera omnia prodierunt Lipsiae ex officina Teubneriana).

XXX . . **Divi Thomae Aquinatis Summa Theologica** ad emendatiores editiones impressa et accuratissime recognita. Edid. Romae Forzani et S. - Leo PP. XIII aureo numismate decoravit.
XXXI. . **Divi Thomae Aquinatis Summa Philosophica contra Gentiles** ad lectionem codicis autographi in bibl. Vaticana adservati, probatissimorum codicum meliorisque notae editionum fideliter impressa. - Romae, ex off. Forzani et S.
XXXII . **Biblia sacra vulgatae editionis** Xysti V P. M. iussu recognita et Clementis VIII auctoritate edita. - Affabre renovarunt Desclée, Lefebvre et S.
XXXIII. **Novum Iesu Christi Testamentum vulgatae editionis** Xysti V P. M. iussu recognitum et Clementis VIII auctoritate editum. - Affabre renovarunt Desclée, Lefebvre et S.

Subnotationes atque praepositi praemii indicatio **recto tramite** mittantur ad ***Vox Urbis*** commentarii **administratorem, Roma, via Alessandrina, 87.**

PER ORBEM

Illuxerunt hae tandem idus Novembres, quas et me et vos insimul non minori anxietate exspectasse credam, quam Brutus et Cassius idus Martias. Cum autem me somno trepidum et vix labore victum credidissem, attonitus mane surrexi, vitamque universam progredi circum assueto tramite stupidus animadverti, et lucem novam, quam me conspecturum iterum non reputaveram, refecto animo salutavi. Verum astronomicam fidem, quam foveram hactenus, prorsus amisi, Falbumque illum quasi nugivendulum retinuissem, nisi Valleparadisi ex urbe Argentina eius cometam apparuisse quodammodo exterritis civibus essem nactus; ita ut dubium semper maneat supremum: si Vallisparadisiensibus illis visa est tam clare, nobisne alias invisendis comiter decidat?

Quid refert tamen quo caudatus globus nefastum iter suum faciat insolutamque quaestionem de sua praesentia nobis relinquat, dum mihi non siccis oculis demiranda adhuc manent quae, ubique terrarum, abditus vel manifestus eius influxus miserrima fata propagavit, pestem, procellas, marinos denique ac terrestres interitus? **Lues enim illa pestifera** Santos urbem in Brasilia aggressa, nonnullas quotidie mactat victimas, et dum Ulysiponensia moenia omnino adhuc non derelinquit, Lusitanorum in coloniam Laurenço Marquez infertur. Neque scio plane num aegrotis omnibus miseris illam curandi methodum suadeam, quam, strenuo exemplo, nosocomii Santensis moderator est expertus, qui unicum sibi morbo correpto in Bacchi virtute repositum putans auxilium, inauditas quotidie libationes haurit.

♆

Sit illi igitur **in vino salus,** quam in aqua ferme non reperisset: quamquam quae in navalibus acciderunt praecipua non item letalia ubique fuerunt. Scimus quidem in Schelda flumine transitoriam navem repente effractam plus quam triginta viatores amisisse; sed in italico contra navigio, a duce de Galliera dicto, et simili calamitate medio in Oceano perculso, remissius fortuna se gessit, strenua nautarum adiuvante virtute. Unda namque, quae per effractam navis carinam irrumpens iam ad quinque metra ascenderat, potuit ininterrupto duorum dierum labore omnino expelli. Postea vero occlusa, quantum licuit, rima, fluctuum arbitrio concredita navis meridiem versus descendit, usquedum anglico navigio *Phoenicien* occurrens, remulcata ad Sancti Vincentii portum est.

♆

Procellas et tempestates quae sive Scotiam sive Hiberniam, sive septentrionalem Galliam sive Ilvam, italicam insulam, pervastarunt, ne nimis tristes simus, omnes omittimus una cum assuetis quotidianis desertionibus, quae tum Belgas carbonis effossores ad Seraing, tum Iberos aurigas Barcinoniae perturbarunt.

♆

Interdum vero sapientum conventus in dies pariter habentur summa concordia summaque litterarum utilitate, quorum praecipuus fuit Ianuae coactus inter librorum celeberrimos ac sollertissimos cultores, qui a municipibus magna laetitia in suis aulis sunt hospitio recepti. Mediolani autem inter ephemeridum Longobardiae scriptores Ives Guyot Gallus, diarii cui a saeculo est titulus Lutetiis moderator, festive pariter acceptus, eleganti sermone est adlocutus. Denique in proxima Novocomensi urbe, extremas suae virtutis atque industriae ferias ipsi Longobardi habuerunt, atque excitatam bis e solo **splendidam** suarum artium **recensionem,** quam in Alexandri Volta centenariam memoriam constituerant, laeti clauserunt; magnas praesertim illis qui suam contulere operam agentes gratias, quod immani incendio non deterriti, iterum suas merces et opera in urbis emolumentum tanta constantia contulerint.

Viator.

VARIA

Undenam horae momenta.

Apud Mesopotamiae populos, Babylonenses praesertim, duplex dividendi modus fuit; aut ratione sumpta ex digitis manuum, compar duobus V, quibus adiectis vel superimpositis (X) fingitur X, vel ex numero *sex*, qui numerus omnibus fere linguis iisdem exprimitur litteris ac vocibus. Hinc per sexaginta divisio, aeque ac per centum in deliciis fuit; sed quae per sexaginta carior, quia facilior, et pluribus numeris dividentibus constat. Quotidianum solis iter in 24 *parasangas* dividebant, scilicet horas, quibus 720 *stadia* conficiebantur. Singulas *parasangas* in sexaginta partes partiebantur, quarum singulae aequabant iter, quod validus pedibus ambulator eodem spatio temporis superaret. Itaque vigintiquatuor milliaria arcus solaris, divisa per totidem *parasangas*, dabant septingenta et viginti stadia, quae per dimidium, die ac nocte, iterum divisae tribuebant numerum 360, quo placuit gradus circuitus enumerare.

Systema hoc, Ipparco auctore, in Graecos defluxit, quo in europaeos mores, 150 circiter annis ante Christum, haec astronomica hora babylonensis delata est. Ptolemaeus communem fecit; nec post eum ex usu decidit.

P. d. V.

[illegible], [illegible] pariter occupantur. [illegible] in Adriatico mari et in Aegeo navales [illegible] ab Austriorum classe habentur.

In Ameriça pariter assuetae seditiones populorum ex Ibericis [illegible] nationibus quotidiano more exsurgunt. Alias enim diximus Castro in Venezuela perduellium ducem rerum esse potitum. Hic quidem [illegible], ubi [illegible] ex suis assectis constituerat [illegible], Hernandez, Pulido, Rodriguez. [illegible] vigesimaseptima. At [illegible] seditiosus [illegible] atque contra [illegible] in Venezuela [illegible] e Columbia [illegible] Ubebe [illegible] ac [illegible] ubi [illegible] seditionum [illegible].

De septentrionalium Americanorum bello ad [illegible] constat, ab electo ad rem exa[illegible] scriptam re[illegible] ut [illegible] cum barbaris [illegible].

[illegible] quod [illegible] inter [illegible] populos [illegible] praecipuus horum dierum eventus [illegible] in urbe contigit, in [illegible] Russorum et Germanorum [illegible] est, confluentibus hinc inde rerum [illegible] Bulow. Verum [illegible] quamvis summi [illegible].

Publicola.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

[illegible] opera sunt.

In Belgio [illegible] legis de oratoribus populi eligendis [illegible] primus approbatur articulus, quo populi delegatio proportionalis, uti aiunt, in genere statuitur.

In Bolivia Pando, tribunus militum, in novum reipublicae praesidem electus est.

In Bulgaria die elapsi mensis vigesimaseptima utrique coetus sunt principis sermone inaugurati, qui praecipuam suae nationis amicitiam inde cum Russis hinc cum Austriacis magnis laudibus extulit.

In Gallia, potissima rogatio, quam a coetu ad summam expensarum delegato iri propositum dicunt, de legatione apud Summum Pontificem tollenda brevi agitabitur, at assueto negativo suffragio reiicietur.

In Helvetia, summa expensarum examinata concluditur, atque septingenta millia libellarum aeris alieni in aerario publico reperta sunt.

In Iberia apud senatores repellitur a belli administro [illegible] illa, qua praedicatum est in Canariis insulis ab Iberis fore ut portus Anglis concederetur. In municipum autem coetu, de Barcinonensi seditione rogatio a reipublicae fautoribus proposita in gubernatoris Catalauniae opprobrium, reiicitur.

In Italia oratorum populi conventus die XIV huius mensis novembris congregabitur.

Scriba.

QUAESTIONES INTER SOCIOS PROPOSITAE

IV.

De latini eloquii pronuntiatione.

Latini eloquii alia pronuntiatione utuntur Angli, alia Scoti, alia Galli. Cur non « exemplar pronuntiationis » habeamus, ut omnes eodem modo latine loquantur?

Vocis Urbis moderatores ii sunt, meo iudice, qui nobis exemplar dare possint. Date nobis, sis, viri benevolentissimi, tale exemplar quale exspectamus, ut ego et alii socii gaudeamus.

D. Macrae.

Vocis Urbis moderatores cl. viro D. Macrae gratias referunt amplissimas de verbis, quibus liberaliter eos est prosecutus; cum tamen sua ipsorum auctoritate tanto oneri ferendo se impares sentiant, ad quaestionem hanc agitandam socios omnes appellant.

LIBRORUM RECENSIO

Degli epigrammi di Asclepiade da Samo. Note del dott. Ettore Ghislanzoni. Romae, ex. off. H. Voghera, 1899.

Hector Ghislanzonius Asclepiadis Samii poetae epigrammata vocavit ad trutinam brevi opusculo, si molem inspexeris satis amplo si disciplinam, eruditionem, ingenium, aciemque perpenderis intellectus.

Proposita igitur, et, ad instar speculatoriae cohortis, veritate praemissa, qua arguit aeternum nomen graeco poetae huic non tantummodo ex paucis, quae supersunt adhuc, epigrammatibus factum, sed gravioribus poematibus, quibus dignus visus fuerit laudibus, et imitatoribus Callimacho, Posidippo, Leonida Tarentino, Dioscoride, aliisque, quibus insuper vulgatum illud fuerit carmen, cuius modi quaeque apud lyricos vates Asclepiadei nuncupantur, quaestionem proponit, utrum quae epigrammata reliqua sunt, quadraginta et sex, huic Samio, sive alteri, Adramyteno, sive tertio cuidam, ignoto, iure tribuenda videantur.

Singula perquirens et inspiciens, et nunc genus sermonis, nunc seriem sententiarum proferens, quae Asclepiadi propria sunt vindicat huic, quae ad imitationem a Meleagro sunt addita, Meleagro remittit, vel Antimaco, quae signum vatis huius praeseferre. Hac arte, postquam incertis de epigrammatibus locutus est, iudicium constituit cognoscitque epigrammata, quae duplici notantur lemmate *Asclepiadei – Posidippi*, et feliciori usus tramite, ad illud recidit quod olim Reitzensteniō (*Ined. poet. graec. fragm.*) visum est. Mox subruit atque respuit quae Stadtmueller emendat (in primo versu epigr. V, 7), reddens comi Samio carmen hoc, cuius laus iniqua pallade alii tribuebatur. Strabonem denique adducens, genuinam optimamque interpretationem epigr. IX, 63 obvie suppeditat.

Eruditum sane et laboriosum opus, non invita, immo favente minerva perfectum.

Ioannis Baptistae Moscati liber nobis est **De vita et moribus beati Aurelii Augustini Patris, doctoris, legiferi**, quem edidit S. Aniceti Consentinorum Gregorius Moscatus fratris f.

Profecto qui amplissimos viros laudaverit laudandus erit; non enim a moribus eorum, quos laudamus, abhorremus, et quae in ipsis laude digna censemus, in nobis etiam laudanda exoptamus. Haec in genere habenda sunt pro iis, qui de illustribus viris monumenta fecerint. Verum de Augustino quisquis erit, qui scribat, illud Hieronymi experietur: « Grandes materias ingenia parva non sustinent »; quodvis enim, etsi maximum, coram Augustino fit parvum ingenium. Doctissimi quippe viri sententia est, humanum genus nihil protulisse maius Platone, Cicerone, Augustino. Et opportunum sane, ut plures de iisdem scribant, ut qui futuri sunt proximiorem indoli propriae librum eligant, idem enim, ut Augustinus ait, huic placebit sic, illi autem non sic.

Laudabo igitur Moscatum de Augustino scribentem tum proposita causa, tum non inculta latinitate, quamvis versu idem Moscatus maior emineat, cuius carmina alias memoravi. At est quod hodie non probem, ex. gr. recordationem operis uno mense exarati, et praemio donati. Si dignum videatur, sodes, alii, non tu, praedicent; nos autem non quod cito, sed quod recte feceris laudamus.

H. P.

AENIGMATA

I. (Vulgo *Rebus*).

domus QUIES

II.

Pars me *bina* creat, benigne lector,
Quarum *posterior priorem* adaequat
Tam bene, ut nequeat puella matrem
Adaequare magis, aut soror sororem.
Si iungas simul, ut solent, *utramque*,
[illegible]
Qua dat pinguia dives arva Nilus.

V. Cariolato.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis [illegible] tionem ad commentarii moderatorem [illegible] intra duos menses, unus, sortitus, gratis [illegible] opus gallice scriptum et figuris [illegible] tulum:

D' IRLANDE EN AUSTRALIE
SOUVENIRS ET IMPRESSIONS DE VOYAGE
par A. [illegible].

Aenigmata ann. II, n. XVIII proposita his respondent:

I. Cicer - o
2. Lat - rina

Rite soluta miserunt:

Ed. Bianco; Bon. Benito; Ages. de Aguiar, *Roma* – [illegible] Schens, *Ratisbona*; Ios. Ant. Schneider, *Monachio in* [illegible] – Ricc. Magenta; Abr. Morchio, *Genua* – P. Pasquali, [illegible] – [illegible] Bartoli, *Grosseto* – Alois. Pescrico; Verit. [illegible] Felix a I. C., *Tusculo Latino*; Aug. [illegible] F. Crouzillac, *Epernay in Gallia* – E. R. [illegible] in *Anglia* – Mart. Kheterich, *Scepusio*; Seminarium [illegible] liense *in Hungaria* – Principal Gordon, *Mancunio* – Ios. Cionetti, *Poiano Vallispentanae in agro Veronensi* – Hid. Guepin, *S. Dominico de Silos ad Burgos* – Herb. Aug. Strong, *Lyrpho* – L. Gulling, *Visby in Suecia* – Partholan Fitz Randle, [illegible]; Aus. Robert, *Marieville*; D. Falconbridge, *Toronto*; Aug. Raberge, *Chicot, in Canada* – Aug. Ed. de Druffel, *ex arce Welbergen in Guestphalia* – D. Macrae, *Lairg in Caledonia* – Petr. Garrone, *Pezzana ad Vercellas* – Mar. Rabadan, *Spalato in Dalmatia* – Andr. Piotto, *Malado*; Ios. Capovin, *Montebello in agro Vicentino* – Io. Bapta Buchenberg, *Albano* – P. Alegre, C. C., *Urbetelio* – E. Frachetti, *Mangalore in Indis* – Ios. Bebeczynski, *Wlaclawek*; Ios. Rokoszny, *Sandomiria in Polonia* – J. J. Dunne, *Dublino* – Ant. Portanova, *Salerno* – Ad. Artioli, *Ferraria* – Alois. Cappelli, *Senis* – Ioan. Mediolanensis.

Sortitus est praemium:

Ricc. Magenta,

ad quem missum est opus, cui titulus:

BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS
Xysti V Pontificis Maximi iussu recognita
et Clementis VIII auctoritate edita
(Affabre renovarunt Desclée, Lefebvre et Socii).

Sponsor: Ioannes Baptista Ciampi, iurisperitus.

Romae – Ex Officina Forzani et Socii.